

Observationes : — 1^o Dixi : unà cum Papà et dependenter à Papà..., eo nempe quòd Christus eis assistet non modò ut veram Ejus prædicent doctrinam, sicut et Petrus prædicat; sed ut prædicent etiam in communione et obeditione Petri. Religio enim prædicata seorsim et independenter à Petro non esset vera religio Christi quæ nempe in præcipuis habet ut communio et obediencia ad Petri Sedem servetur. — Ergo major Episcoporum numerus non modò sicut Petrus, sed etiam unà cum Petro et dependenter à Petro veram Christi prædicabit doctrinam. — Atque inde

2^o major Episcoporum numerus non modò nunquam aliquid prædicabit tenendum quod S. Sedes rejicere injungit, sed neque unquam prædicabit de fide necessarià tenendum aliquid, quantumlibet verum, quòd S. Sedes ita tenere nondum injunxit. Secus enim, novam Ecclesiae obligationem absque Pontificis consensu imponere attentaret; — quòd esset potestatem sibi non datam arrogare et Ecclesiam facere bicipitem, proindeque aliquid implicaret contra fidem (Cfr infra) (1).

Ergo denique, quemadmodum ex infallibilitate papali, quam supra adstruximus, sequitur nunquam fieri posse ut Papa aliquid à doctrinà Christi alienum Ecclesiae injungat de fide tenendum; ita ex infallibilitate episcopali, qualem eam nunc adstruimus, sequitur nunquam generatim (2) fieri posse ut major Episcoporum numerus aliquid epis-

(1) Jam ex dictis componi forsàn poterunt quædam quæstiones et pugnæ verborum inter theologos exagitatæ, utrùm nempe Papa gaudeat infallibilitate *separatâ*?... utrùm Ecclesia non sit infallibilis nisi *per Papam*?... — Enimverò infallibilitas papalis dici potest *separata*, eo sensu quòd Papa eam plenè exercere potest et, de facto, ita sæpe exercet prius etiam quàm inquisierit de consensu Ecclesiae; non autem eo sensu quòd consensu illo posthàc carere possit. Infallibilitate gaudet *separatâ* sed *non exclusivâ*. Episcopi autem collectivè sumpti assistentiâ quoque, juxta nos, et consequenter infallibilitate gaudent, sed quæ non modò *non exclusivâ*, sed *neq; separatâ* dici potest, licèt distincta; quia nempe non eam plenè exercere possunt neque unquam ita exercere attentabunt antequàm inquisierint de consensu Papæ. — Atque inde Ecclesia seu Episcopatus dici debet infallibilis *per Pontificem*, non eo sensu quòd Pontifex sit solus cui assistentiâ proindeque infallibilitas spondeatur, sed eo sensu quòd assistentiâ et infallibilitas nemini conferatur circa aliquam veritatem quin Papæ prius collata sit ad eandem veritatem docendam.

(2) Dicimus : *generatim*... , ob exceptionem à quibusdam infra afferendam pro tempore vacationis S. Sedis.

copaliter prædicet tanquam de fide necessariâ tenendum, quod non ita etiam à S. Sede jam injungatur ac prædicetur.

Hinc igitur, ubicumque constat Papam, pro suâ plenâ auctoritate papali, aliquid docere tanquam de fide ab Ecclesia tenendum, certum est, quòd Episcoporum saltem majoritas, pro suâ auctoritate episcopali, idem itidem tenendum incunctanter docebunt. Pariter et ubicumque constat saltem Episcoporum majoritatem, pro suâ auctoritate episcopali, aliquid docere tanquam de fide obligatoriâ tenendum, certum est idem itidem jam à S. Sede doceri (1). In utroque autem casu, certum est idem istud in doctrinâ per Christum revelatâ contineri (2).

(1) Hæc autem practica intercedit differentia, quòd nempe S. Pontificis multò facilius quam Episcoporum majoritatis sententiâ dignosci potest; unde prius illud criterium multò magis quàm hoc posterius in usu est, ideoque multò magis omni ferè ætate expensum, dilucidatum, probatum ac vindicatum, ac demùm, ætate nostrâ, ex ipsorum Episcoporum consensu definitum est.

(2) Hinc Muzzarelli in opere posthumo *de Auctoritate Rom. Pontificis* : « ... Ne suspiceris quòd unquam futurum sit ut dissolvatur illud Corpus » quod Christus constituit ex Pastoribus sub Pastore supremo... Si à S. » Pontifice universæ Ecclesiae proponatur ex cathedrâ aliqua constitutio in » causâ fidei vel morum, indubium est quòd illa constitutio continet doctrinam universæ Ecclesiae. Supervacuum est attendere consensum inferiorum Pastorum, quoniam certum est, consequenter ad promissa, quòd » dissentire non possunt, neque actu dissentiunt, *saltem quoad majorem numerum*, à quo simul cum Capite constituitur Corpus Ecclesiae docentis... Promissa fuerat à Christo Corpori apostolico quamvis per orbem » terrarum disperso inerrantia in doctrinâ fidei et morum pro omnibus diebus. *Ite, docete... et ecce Ego*, etc... Hæc promissio semper verificata » fuit in Ecclesia, ita ut nusquam ostendi possit, per tam longam sæculorum » seriem, aut error in successoribus Apostolorum collectivè sumptis, *quoad majorem eorum numerum*, aut hujus Corporis discrepantia, in judicio » fidei et morum, à judicio Rom. Pontificis qui Petro successit... » (Proem., p. LXXV, LXXIX, XCXVII, etc. « ... Desine igitur discindere quod discindi non » potest. Aderit semper, juxta promissa Christi, consensus doctrinæ S. » Pontificis cum doctrinâ universalis Ecclesiae, et concordia doctrinæ universalis Ecclesiae cum doctrinâ S. Pontificis..... Suppositio divisionis, » contradictionis, discissionis in toto Corpore Ecclesiae est hypothesis chimerica, post Christi promissa. Unde si mihi constaret de doctrinâ universi Episcoporum collegii, constabit etiam consequenter de doctrinâ S. » Pontificis, quæ diversa ac contraria esse non potest. Et pariter statim ac

Et hæc quidem quæ intulimus è promissionum repetitione ad Apostolos, itidem confirmantur

II^o è *Traditionis* usu loquendi. Etenim

1^o SS. Patres atque exinde Doctores toti sunt ut dissidentes confutatos habent « ex multitudine Episcoporum qui, ut ait S. Basilius » *Ep.* 204, n. 7), nobis in toto terrarum orbe per Domini gratiam » conjuncti sunt. » Namque « Episcopi, per tractus terræ constituti, » in sententiâ Jesu Chrsti sunt », uti jam è S. Ignatio martyre vidimus (suprà p. 60) ex *epist. ad Ephes.*) : — et quidem non modò quia tot ac tantorum consensio suspicionem innovationis naturaliter excludit (uti suprà adnotavimus, v. g. p. 61 etc.); sed imprimis quia « Traditio hæc in toto mundo manifestata » (S. Iren., suprà, p. 118), est « vivens et authenticum organon Spiritûs-Sancti » (1), cujus « charisma Patres acceperunt ad docendum in uno spiritu..., per » quem edocti sunt et inter se consentiunt. » (Theodoret. et Leont. Byzant. cit. ap. Franzelin. op. indic. p. 258). — Atque ideo SS. Patres vividè disputant contra hæreticos, quando hi, ut Eunomius S. Basili adversarius, nolunt, « ex multitudine verum à falso discerni, aut majori parti victoriam tribui, et dignitatum rationem » haberi; » (S. Basil., *Lib. contra Eunom.*, 1, n. 3, nec non ipsius Eunomii *Lib. Apologet.* n. 2), vel quando hanc multitudinem aut majorem partem sibi favere jactitant, — uti v. g., occasione concilii Ariminensis, jactitarunt Ariani, succinentibus apud nos Jansenianis. Contra quos nostri cum antiquiores tum recentiores Doctores ostendere satagunt « ne tum quidem corruisse fidem multitudinis

» mihi cognita fuerit doctrina S. Pontificis, jam mihi nota est doctrina » universalis Ecclesiæ, quæ una debet esse cum Capitis doctrinâ.... Hæc » consensio, ex promissionibus Chrsi, inter Caput et Corpus, inter Corpus » et Caput, nunquam deesse poterit » (t. I, p. 59-61). — Similiter et Ballerini: « Sicut fieri nequit ut Petri ac successorum ejus fides vel momento desinat esse *petra*....., ita fieri nequit ut Ecclesia et Episcopi catholici, » *saltem plerique*, descendant ab eâ *petrà*, et ab unitate fidei Petri ac successorum ejus dissentiant....., cum institutionem Christi nec Ecclesia » nec Episcopi catholicæ Ecclesiæ infringere vel mutare aut deserere unquam possint. » (*De Potest. S. Pont. et Conc. gen.*, c. II, § 2; ap. Migne *Theol.*, t. III, p. 1294).

(1) Franzelin : *De divinâ Traditione*, p. 28, *Thes. V.*, cfr. et *Theses* seq. VI, VII, VIII, etc.

Episcoporum » (1). — Porro hæc omnia ostendunt Patres et Doctores impossibile reputavisse ut multitudo vel major pars Episcoporum à veræ fidei prædicatione recedat. — Item

2^o receptum est in totâ Theologiâ catholicâ Episcopos non se habere tanquam simplices Fideles nec etiam tanquam meros Papæ consiliarios (2), sed ipsos quoque esse per se, è jure divino, *fidei judices*;

(1) Thomassin. : *Dissertationes in Concilia*, Diss. V. n. 12. Cfr et Corgne : *Dissertation crit. et théol. sur le conc. de Rimini* (1732). In hoc nempe concilio (circa quod V. Blanc, leg. LII), aderant plus quam 400 episcopi, inter quos, favente Constantio Imp., 80 ariani convenerant, cæteri autem catholicè sentiebant; item, eodemque tempore, in concilio Seleuciensi aderant 160 episcopi quorum 19 tantum, juxta S. Hilarium illuc præsentem, 39 autem, juxta alios auctores, arianismo addicti, cæteri autem catholici. Porro concilii Seleuciensis legati et omnes ferè Arimineses Patres ac deinde alii per provincias quorum ignoramus numerum, vi et fraudibus èducti sunt ut subscriberent formulæ cuidam inani et nihil significanti quâ Filius Dei dicebatur « similis Patri secundum Scripturas ». Ariani inde proclamare victoriam, quasi in ipsorum sensum omnes ii tandem descendissent, quem reapse omnibus quibus poterant modis detestabantur : unde, ut ait ingeniosè S. Hieronymus, « ingemuit totus orbis et arianum se esse miratus est » (*Dial. adversus Luciferianos*, n. 19). — Verum 1^o neque illa formula ullatenus per se hæresim exprimebat, neque per acclamationes subdolas ad quas Ariani concilium adduxerant, poterat ad hæreticum sensum verè determinari : insuper et 2^o, etiamsi episcopi illi hæresi reapse manus dedissent, nunquam probari posset illos majorem fuisse numerum legitimorum Episcoporum tunc in orbe existentium (Cfr suprà p. 191), maxime quum, paucis exhinc annis, Patres concilii Tyanensis (a. 365) « scripserunt » ad omnes ecclesias ut Occidentalium episcoporum decreta perlegerent » et epistolas tum Liberii, tum episcoporum Italiæ, Africa, Galliæ et Siciliae....., utque omnium illorum numerum considerarent ; multò enim » plures erant iis qui in Ariminensi concilio sederant » (Sozomen., *Hist. eccl.*, l. IV, c. XII). Unde omninò respuenda sunt ea quæ Tillemont, Jansenistarum factor, è quibusdam hyperbolicis Patrum querimoniis inferre atque conflare in hoc conatus est. — Cfr et S. Augustinum : *Epist.* 93, n. 32, in locum quemdam S. Hilarii circa episcopos quarundam Asiæ provinciarum, quo jam Donatistæ pariter abutebantur.

(2) V. Bellarmin., *De Concil.*, l. I, c. XVIII; et magis etiam directè M. Canus : *De locis theol.*, l. V, c. V, ap., Migne *Theol.*, t. I, p. 370; — Bened. XIV; *De Synodo*, l. XIII, c. II, 2, ibid. t. XXV, p. 1337; — D. Bouix : *De Episcopo* : P. I, s. II, c. III, p. 111; — etc.

nec modò *in primò*, ut ita dicam, *instantiè*, quando nempe sive in suà quisque diœcesi, sive in conciliis particularibus, de supervenientibus controversiis pronuntiant, sed et *in judicio definitivo*, quando sententiæ papali sive jam latæ, sive mox ferendæ sententiam suam jungunt, uti sæpe factum est, v. g., in Conciliis generalibus (V. suprâ p. 155). — Illa porro expressio, — secus explicatu satis difficilis, — jam facillimè explicatur ac justificatur, ubi admittitur eorum assensum collectivum habere verè talem per se valorem ut sufficere posset ad terminandam litem, si non terminaretur aliunde per judicium Papæ. Quomodò, in omni consensu judicium, ii etiam qui post majoritatem jam formatam suffragium emittere pergunt, adhuc tamen verè judicium auctoritatem exercent, eo quòd nempe ad rem decidendam verè inservirent, si non decisa esset per majoritatem jam declaratam. — Illa autem explicatio manifestè supponit Episcopos collectivè sumptos non magis posse quam ipsum Papam à verâ Christi doctrinâ in judicando deflectere, proindeque illos semper, saltem quoad majoritatem suam, unâ cum ipso in veritate mansuros.

III^o — *E rationibus theologicis* eadem conclusio suadet. Etenim

1^o si Christus cum successore quidem Petri semper afforet, non autem necessariò cum majoritate Episcoporum, jam quotiescumque Sedes Petri vacaret (quod aliquando satis diu protrahitur) aut successio Petri dubia foret (ut factum est in magno Schismate occidentali, de quo infrâ), nullatenus tutò sciri posset, superveniente aliquâ in Ecclesiæ hæresi, quânam ex parte staret Christus proindeque veritas. E contrâ, si Christus semper cum majoritate Episcoporum etiam futurus sit, jam, in tali casu, non omninò impossibile est discernere ubinam Ecclesia se colligat et undenam ejus necessitati provideri possit: est enim majoritas Episcoporum quæ Centri ac Capitis vices aliquatenus implere potest (1), licèt accidentaliter tantùm et multò

(1) Hic quæri potest utrùm, vacante S. Sede, Episcoporum majoritas non modò articulos fidei jam obligatorios indesinenter prædicatura sit (quod nos asserimus), sed et novos hujusmodi definire possit. In hoc non consentiunt auctores: affirmat Muzzarelli (*Argument démonstratif de l'infailibilité du Pape...*, p. 17); sed pars negativa sequi videtur è principiis positâ ap. Suarez et plurimos alios (Suarez. : *De Legibus* l. IV, c. vi, iv; ap. Migne, *Theol.*, t. XII, p. 779). — In quo conflictu, hæc tantum nobis statui posse videntur; scilicet 1^o si necessitas Ecclesiæ id postularit, Episcopi certè pos-

certè difficiliùs quàm cum Centrum et Caput in uno homine individuo invenitur. (V. suprâ n. 35, p. 103).

2^o Cæterùm, etiam Pontifice præsentè ac Centri et Capitis munus implente cum assistentiâ sibi singulariter promissâ, necesse adhuc videtur Christum assistere quoque Episcopis collectivè, ut nempe fides à Pontifice custodita vel definita in omnem terram resonare non intermittat. Ecclesia enim, ut postea probabitur, nunquam intermittet esse *catholica*, id est, nunquam intermittet cuilibet alii Christiani nominis communioni præeminere extensione, utique extensione non vacuâ sed etiam *multitudine* fidelium (V. S. August. *Epist. ad Cathol. de Unitate Eccl.*, n. 18). Ad hoc porro necesse est, in supervenientibus Ecclesiæ scissionibus, fidelium numerum majorem, imò et longè majorem S. Pontifici et veræ semper ejus doctrinæ remanere addictum. Fideles verò generatim ire solent post episcopos quique suos. Ergo, juxta solitas Providentiæ vias, ut fidelium major numerus Papæ et veritati remaneat addictus, necesse est etiam majorem Episcoporum numerum Papæ et veritati remanere addictum. — Summatim, Petro Ecclesiæ coryphæo, sicut eum vocant Patres, Spiritus Sanctus desuper assistit ut ille veræ semper fidei præcinat symbolum: apostolico Episcoporum choro item assistit ut coryphæo suo consonè succinant; postea autem (in cap. IV^o) videbimus quomodo etiam toti assistat fidelium cœtui ut fideliter respondeant; et sic mysterium unius Ecclesiæ romanæ, apostolicæ et catholicæ in terris indesinenter subsistat.

53. — Observationes : — 1^o E solitis Providentiæ viis inferre est certè illam Episcoporum *majoritatem* quam asserimus vi promissæ assistentiæ semper sub Papâ in verâ fidei prædicatione perstituram, non strictam tantùm et litigiosam majoritatem fore sed *latam et evidentissimam*: non enim solet Deus res religionis ita disponere ut earum certitudo à mathematicâ supputatione necessariò pendeat.

sunt (cfr J. de Turrecrematâ : *Summa ecclesiast.*, l. III, *De Conciliis*, c. xli; ap. Rocaberti, *Biblioth. Pontif.*, t. XIII, p. 531); utrùm verò id unquam postulet, dubium: verùm 2^o si quando contingeret Episcopos ita facere, tunc indubiè dicendum foret necessitatem reverâ id postulasse et eos ita facere jure potuisse; nam potestatem talem sibi falsò arrogare non possent, utpote, è nostris principiis, infallibiles.

2° Assistentia illa promissa non datur ad sacrorum validitatem, quae invariabiliter consequitur à potestate *Ordinis* (V. suprâ p. 15 not.), sed ad docendum et leges ferendum conformiter cum doctrinâ Christi; quod *jurisdictionis* est; ideoque, in assertione præcedenti, non agitur de *episcopis*, ut aiunt, *Ordinis*, id est, qui plenitudinem sacerdotii acceperint, sed absque ullâ episcopali jurisdictione; agitur autem de *episcopis jurisdictionis*, id est, absolutè loquendo, qui, etiamsi nullam adhuc ordinationem accepissent, jurisdictionem tamen episcopalem ut infrâ videbitur, jam acceperint (1) — et quidem jurisdictionem legitimè acceptam et licitè exercibilem (nam cfr observanda infrâ, in 2^a parte, cap. II, occasione opinionis quorumdam theologorum circa jurisdictionem Græcorum).

3° Satis patet, ex dictis circa ipsum S. Pontificem (n. 00), assistentiam illam Episcopis dari tanquam personis non privatis sed *publicis* et quidem *totâ suâ auctoritate agentibus*, id est, non quando talem talemve doctrinam verbo vel scripto proponunt, defendunt, prædicant tanquam è proprio suo iudicio probabiliter vel certò revelatam et ab unoquoque graviter pensandam, sed quando eam ex officio episcopali fidelibus credendam imperativè proponunt, vel ita proponi permittunt, utpote pertinentem ad fidem Ecclesiæ obligatoriam (quod, uti jam observavimus, supponit eam jam à S. Sede ita haberi ac prædicari).

4° Quoad alias autem conditiones quas nonnulli auctores, è jansenianis præsertim, et nonnunquam è recentioribus, ad infallibilitatem etiam majoris vel maximæ partis Episcoporum exigendas insinuaverunt, uti speciatim an episcopi illi *rem in se et maturè examinaverint*, — *annon è falsis motivis ducti fuerint*, v. g. (aiebant Gallicani nonnulli) è præconceptâ infallibilitatis pontificiæ opinione, — an non *metu oppressi vel dolis circumventi fuerint*, — an *multitudinem fidelium sibi consentientem haberent*, — etc., etc., — satis patet

(1) Quæstio autem moveri potest et reverà movetur utrùm necesse sit hæc jurisdictionem esse speciatim in aliquam ecclesiam particularem, anne Papa possit ac velit alicui impertire partem quamdam jurisdictionis generalis in universam ecclesiam, quin illi jurisdictionem specialem in aliquam ecclesiam particularem assignet. Quæstio potissimum spectat ad episcopos, ut aiunt, *in partibus infidelium*, quibus nempe Papa conferri facit consecrationem episcopalem sub titulo jurisdictionis cujusdam particularis sed inexercibilis et fictitiæ. De his infrâ.

cas nonnisi omnem infallibilitatem eludere natas esse, et de iis minimè curandum: promissiones enim absolutæ sunt (1).

§ III. — De conciliis.

54. — De conciliis in genere: Quotuplici modo et quanam jure congregari possit Ecclesia docens. — Ex huc usque probatis, omnis auctoritas tum doctrinalis tum legislativa, ad Ecclesiam docendam et regendam necessaria, à Christo posita est in Papâ primariò et absolutè, in Episcopis secundariò et dependenter. Inde Papâ et Episcopis simul componitur *Ecclesia docens*, ut aiunt, docens scilicet et regens. Cujus ubi ambæ partes, Papâ nimirum et Episcopi, sive personaliter sive repræsentanter congregantur ad deliberandum et judicandum circa doctrinam vel disciplinam, habetur *Concilium generale*, seu, ut vulgò etiam dicitur, *œcumenicum* (i. e., ex omni terrâ *habitata*, *οικουμένη*). — Item et ubi Episcopi alicujus partis Ecclesiæ itidem congregantur, habetur *concilium particulare*, putâ, *provinciale*, si unius ecclesiasticæ provinciæ (2).

Concilium igitur in genere definiri potest *congregatio Ecclesiæ docentis, sive ex toto, sive ex parte, ad deliberandum et judicandum circa doctrinam vel disciplinam christianam*.

Porro, quum Ecclesia, sicuti omnis societatis est, opus habere potest ut sui Pastores ita congregentur, certè de

(1) Unde DD. Ginoulhiac, l. jam indic. : *Le Concile œcum.* (1869), p. 46 : « Jamais et dans aucune circonstance, quels que soient les assauts » de l'enfer et la violence des passions humaines, l'Épiscopat ne s'écartera » de la voie droite de la vérité et de la justice. Les promesses qui garantissent contre toute erreur le corps apostolique, toujours vivant dans la » personne du Souverain Pontife et des Evêques, sont absolues, inconditionnelles, elles s'étendent à tous les jours, à toutes les circonstances... »

(2) Multiplices conciliorum species videre est distinctas ap. DD. Héfélé : *Hist. des Conciles, Introd.*, § 2.

jure naturali ac divino habet ut concilia sua sive generalia sive particularia celebrare valeat.

Quod ad concilia particularia attinet, remittitur ad Canonistas. — Hic autem dicendum tantum

55. — Speciatim de Concilio generali seu œcumenico :

— *Hujus auctoritas, ratio et conditiones* : — Ex dictis quidem in Papâ simul et Episcopis non plus inest auctoritatis sive doctrinalis sive legislativæ quàm in Papâ solo : id enim jam abundè probatum est, et omnes Catholici speciatim definitum tenent è Concilio Vaticano. Ideoque certè jam « à recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere ab judiciis romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem romano Pontifice superiore appellare » (*Conc. Vatic.*, Constit. *De Eccl.*, c. III.) (1).

Attamen, propter rationes jam à nobis alibi indicatas (suprà n. 42 p. 155) aliquando non inutile est Papam et Episcopos in unum convenire, — sive nempe — 1 — ut Papa, cui *assistentiâ*, non *revelatio* nec *inspiratio* promissa est, possit sententiam facilius sibi efformare et opportunitatem tutius dijudicare definitionis vel legis ferendæ; sive — 2 — ut animi modicæ fidei vel dubiæ obedientiæ

(1) Illas appellationes jam pluriès à tempore Pelagianorum qui primum hujusmodi dedere exemplum (Cfr S. August. : *L. IV ad Bonif.*, c. ult.), simpliciter damnaverant SS. Pontifices (V. ap. DD. Héfélé : *Hist. des Con.*, *Introduct.* § 9). Et id quidem profectò Gallicani agrè ferebant (V. Gerson : *Quomodo et an liceat in causis fidei à S. Pont. appellare?* Opp. T. II, p. 303; Fleury : *Nouv. opusc.*, p. 51); sed ultrò habebant pro condemnatis appellationes à S. Sede et *Ecclesiâ dispersâ* ad Concilium (Et V. ap. Zaccaria : *Antifebronius vind.*, Migne *Theol.*, t. XXVII, p. 1261). Imò et ipse protestanticus scriptor Mosheim Jansenianos *Appellantes* contradictionis arguit in *Dissertat. : De Gallorum (Jansenianorum) appellationibus ad Concilium universæ ecclesiæ, unitatem Ecclesiæ spectabilis tollentibus*. — Jam verò satis patet damnari non modò appellationes à S. Sede et *Ecclesiâ dispersâ* sed etiam appellationes à S. Sede simpliciter.

efficaciùs ad fidem et submissionem præparentur et determinantur per consensionem utriusque partis Ecclesiæ docentis ex assistentiâ Dei utriusque suo modo promissâ certò emicantem, vel etiam — 3 — per lumen è liberâ motivorum cujusque discussione oriturum, uti suprà (p. 156), S. Leone auctore, exposuimus.

Quæritur autem quænam *conditiones* necessariæ sint ut certum haberi possit utramque Ecclesiæ docentis partem, — Papam videlicet et Episcopatum, — cum auctoritate et infallibilitate cuique parti propriâ, Concilio sufficienter interfuisse. Verùm hic duæ jam distinguendæ sunt hypotheses : vel enim Papa et Episcopatus, saltem quoad majorem hujusce partem, interfuerunt Concilio *personaliter* vel tantum *repræsentativè*. Porro

1° si Papa et major saltem Episcoporum numerus personaliter Concilio interfuerunt et simul iudicium tulerunt, jam nullâ opus est conditione ; sed statim certum est ibi non modò inveniri Papæ plenam et infallibilem auctoritatem, — quæ per se vel solam sufficeret, — verùm inveniri insuper et illam alteram infallibilitatem quam Episcopatu etiam competere suo modo probavimus. — Etenim, uti suis locis tum de Papâ tum de Episcopatu ostendimus (suprà p. 165 et 204) promissiones assistentiæ factæ sunt absolutè, neque alligari potuissent conditionibus fortè defecturis nec semper facillè verificabilibus (uti, v. g., modo procedendi conciliari in examinando, libertati in iudicando, etc.) quin ferè inutiles evasisent. Ergo nulla verificanda est conditio ut decisio quæ tum à Papâ tum à majori etiam numero Episcoporum pro tempore existentium manat, duplici jam titulo infallibilis habeatur (1).

(1) Non videtur, de facto, majorem Episcoporum pro tempore existentium numerum adfuisse atque unâ cum Papâ sententiam tulisse in Concilio illo ante Concilium nostrum Vaticanum, quod sic, — præter omnes condi-

II° Si autem Papa et Episcopatus Concilio adsint tantum *repræsentativè*, Papa scilicet per Legatos, et Episcopatus per aliquem episcoporum numerum dimidio minore, jam *conditiones* quædam requirendæ sunt et verificandæ ut certò constet mentem et voluntatem tum Papæ, tum majoritatis Episcopatus illic nihilominus adfuisse et decretam fuisse. Neque enim Legati, neque minor quivis Episcoporum numerus assistentiam habent absolutè promissam, sicuti Papa et Episcopatus majoritas, ideoque infallibiles erunt tantum conditionatè, id est, posito quòd conditiones impleant ac servant legitimæ ac veræ repræsentationis. Quæ quidem nonnisi consideratione et æstimatione quâdam morali assignari et verificari possunt; ideoque non mirum si suboriantur incertitudines et opi-

tionibus abundè cæteroquin in eo adimpletas, — factum est *maximè* quam huc usque *œcumenicum*, Deo ita per recentiora industriæ inventa providente. Quod quum aliquando obventurum minimè prævideri posset, non mirum si theologi communiter de hâc hypothese non cogitaverint (V. tamen Bouvier suprâ cit. p. 166), ideoque sæpe generali modo dixerint Concilio etiam œcumenico non deberi fidem nisi quatenus legitimæ repræsentationis conditiones adimplet. Ita, v. g., Card. Jacobatus *De Conc.* l. VI, p. 240; — Fénelon: *De S. Pont. auctor.* c. xxxiv; — et adhuc ferè sub ipso Conc. Vatic., DD. Ginoulhiac, post l. modò cit. de inerrantiâ absolutâ Corporis episcopalis: «... Mais il en est autrement pour les Conciles, même » constitués dans les conditions de l'œcumenicité. *Comme ordinairement » le Corps épiscopal tout entier n'y est pas réuni, et que le Concile » n'en est que la représentation, il est soumis, à ce titre, aux conditions » auxquelles sont soumises les assemblées délibérantes, etc...* » Quod, ut modò diximus, pro Concilio Vatic. superflue dictum evasit.

Quidam tamen theologi Concilium, ubi Ecclesiæ repræsentativum haberi copit, jam tenere videntur tanquam *de se* infallibile ex institutione quâdam positivâ Christi, qui, juxta ipsos, repræsentationi Ecclesiæ æquè immediatè assisteret ac ipsi Ecclesiæ. Ita notatim quidam è Gallicanis, ut Concilii Constantiensis, imò et Basileensis, auctoritatem extollerent: ita, v. g., Panorm.: *Tr. du conc. de Bâle*, trad. Gerbais, versus finem; Richer, ap. Puyol, T. I, p. 487. Ita et alii aliâ mente. — Verùm id certè nonnisi infirmè probare conantur è Matth., xviii, 20: *Ubi sunt duo vel tres...*; et in difficultates sese immittunt inextricabiles.

nionum varietates circa *œcumenicitatem*, ut aiunt, quorundam Conciliorum, sive quoad partes Episcopatus in eis, sive quoad partes S. Sedis. — Igitur

I, — ut Episcopatus in Concilio verè repræsentatus habeatur, oportet 1° *omnes Episcopos* jurisdictionem legitimè acceptam et licitè exercibilem habentes *esse convocatos* (1) : — quæ convocatio regulariter fieri debuit *per Papam* aut saltem de ejus consensu, ut sese obligatos credere debeant (2).

Oportet 2° Episcopos tali *numero* atque è talibus *regionibus* convenire ut universa Ecclesia verè repræsentata æstimari possit (3).

(1) Hic quæri potest utrùm episcopi, ut aiunt, *in partibus infidelium*, (V. suprâ, p. 204, et infrâ in Coroll.) ad Concilium generale pleno jure convocandi sint. Allegantur in sententiam affirmantem Ferraris, Bolgeni, Greg. XVI, etc.; in negantem, Melchior Canus, Suarez, Bened. XIV, etc., etc. Et quidem illa quæstio ab hâc aliâ pendere videtur, utrùm nempe S. Pontifex, dum titulum fictitium jurisdictionis in particularem ecclesiam illis contulit, ipsos nihilominus intenderit eo ipso vocare in partem realem jurisdictionis super Ecclesiam universalem, an sibi reservaverit eos tantum quos voluerit, in talem partem, occasione datâ, vocare. Unde quæstio è factis præsertim solvenda videtur. Hanc autem Canonistis relinquimus discutiendam.

Satis autem patet non idem moveri posse dubium circa eos qui titulo quidem fictitio sed jurisdictione reali et exercibili donati sunt, quales sunt, v. g., *Vicarii apostolici*.

Item et veris episcopis assimilati sunt, post nonnullas tergiversationes, abbates jurisdictionem quasi episcopalem habentes; etiamque Cardinales. (V. Héfélé, *Hist. des conc.*, *Introd.*, p. 22, 23; cfr etiam Bened. XIV: *De Synodo*, l. XIII, c. II, n. 5, ap. Migne *Theol.*, t. XXV, p. 1359).

(2) Insuper, ut observat D. Bouix post cardin. Albani, circa Concilium Constantiense (*De Papâ*, t. II, p. 513), oportet omnes episcopos sive ex ipso Concilii indicto, sive è circumstantiis et famâ publicâ præmonitos esse de *causâ* propter quam convocatur Concilium, ut scilicet ii qui non venient, venientibus consentire circa hanc causam meritò præsumi possint.

(3) Hinc quis sanè ferat Conciliis œcumenicis annumerari illud adeò famosum Basileense concilium (1431-1449; V. Blanc, leç. CXLV), quod quidem ut esset œcumenicum, primò convocatum fuerat, imò et rursus ut tale fieret, postea aliquandiu permissum, sed, de facto, in plerisque suis sessio-

Oportet 3° res in Concilio eâ *libertate* tractari et eâ suffragiorum *consensione* à præsentibus decidi ut meritò inferri possit majoritatem totius Episcopatûs idipsum quodque sentire ac velle (1).

Porro facilè patet ea omnia æstimationi satis delicatâ ac variâ locum dare, nec mirum esse si de œcumenicitate quorundam Conciliorum quoad Episcopatûs repræsentionem ambigatur. — Ubi autem supradictas conditiones

nibus, Præsules tam episcopos quàm, ut plerosque, abbates simul congregatos habuit nunc 12, nunc 14, nunc 20 vel 30 aut 40 circiter ad summum, et omnes illos ferè ex iisdem regionibus convenientes? Ita ut prudentiali profectò motivo, quemadmodum observat Andreas Duvallius (*De supremâ R. Pontif. potest.*, ed. Puyol, p. 445), « cum in cæteris Conciliis generalibus Episcopi et Patres soleant recenseri, in hoc Basileensi nulla eorum fiat enumeratio... » — Tale prorsus concilium non nisi periculè dici posset simpliciter œcumenicum, — maximè quum aliunde Papam nunquam ferè sibi consentientem habuit.

(1) Hinc illa *unanimitas moralis* in Conciliis, de cujus necessitate acriter disputatum est, sed quæ certè eò minùs necessaria est quò major est Episcoporum præsentium numerus, ob rationem allatam.

Absonè etiam quidam, tempore concilii Vaticani, insinuabant id quod jam in Concilio Constantiensi insinaverat Cardin. Petrus de Alliaco, in multis aliunde errabundus, quem cit. ac confutatum V. ap. La Luzerne: *Droits et dev. des évêques*, p. 4113; item et recentius auctor quidam Jansenisticus citatus etiam et confutatus ap. Corgne: *Mém. dogmat. touchant les juges de la foi*, p. 389 et ss.; — suffragium videlicet episcopi cujusque in Concilio plus minùsve valere debere pro majori minorive numero Fidelium quos sua diœcesis particularis continet. — Illud certè omninò inauditum neque unquam in Conciliis usitatum (Corgne, p. 397); — et meritò; — Episcopi enim non modò *testes* sunt fidei Fidelium, uti vellent Multitudinistæ (V. suprâ p. 87 in *notâ*), sed sunt etiam per se fidei *judices*, quibus in personâ Apostolorum infallibilitas collectiva promissa est *æqualiter*. Et, — licèt piè credi possit Deum, catholicitatis servandâ causâ, numerosioribus speciatim invigilaturum esse gregibus, ideòque illorum Pastoribus specialius adstiturum quando dispersi per orbem in suis quique propriis gregibus pascendis occupantur, — at certè, quando in Concilio congregantur, jam non suo quisque gregi sive parvo sive magno, sed toti simul Ecclesiæ omnes *ex æquo* loquuntur, proindeque nulla jam est ratio cur privilegia Christi inæqualiter participarent.

reapse adimpletas esse constat, jam talis repræsentionis Episcopatûs legitima æstimanda est, et fidem tutò habere possumus his quæ declarat doceri de fide apud Episcopatum universum. Ipsa tamen per se non posset in Ecclesiam novas inducere obligationes, sive ad credendum sive ad agendum; nec enim totus Episcopatus id posset absque S. Pontificis assensu (suprà, p. 177) (1). Unde, si quid hujusmodi Episcopi in Concilio decernant, non lex sed legis propositum illud habendum est usquedùm certò constet Papam idipsum pronuntiasse.

Ex hâc autem etiam parte, quædam verificandæ sunt conditiones, si Papa *non personaliter* adfuerit Concilio: tunc enim

II. — ut Papa verè repræsentionatus in Concilio habeatur, oportet 1° ipsius legatos *adesse ac præsidere*.

Oportet et 2° ipsos à vi et captione *liberos esse*, atque ita se gerere ut *instructionibus S. Pontificis se conformare et certam ejus voluntatem declarare* meritò judicandi sint. — Quod utrùm ante expressam ejusdem Pontificis confirmationem sufficienter constare possit, aliquando disputârunt theologi (2).

At certè, etiamsi forsàn viro prudenti omnia ritè dependenti certum fieri possit Concilium cui nec Papâ nec Episcopatûs majoritas interfuit, et Papam nihilominùs et Episcopatûs majoritatem fideliter repræsentionasse ac voluntatem utriusque, maximè autem Papæ, verè expressisse, proindeque decreta hujus Concilii in se legitima ac infallibilia esse (3), id tamen non ita demonstrari posset ut neminem refragari liceret, nisi superveniret 3° ultima ac decisiva conditio, scilicet, *confirmatio Concilii à S. Ponti-*

(1) Cfr tantummodò observationem suprâ notatam, p. 202.

(2) V. in hoc Bellarm. *Controv. T. II; De Conciliis L. II, c. xi.*

(3) Muzzarelli: *Argument démonstratif...* De infallibilitate S. Pontif., p. 14, etc.

fice. Quæ etiam conditio plures alias ita supplere potest, ut concilia quædam per se minimè œcumenica, v. g., C. P. I^{am}, sub Theodosio Imp., et II^{am}, sub Justiniano, è solis ferè orientalibus Episcopis, absque ipso R. Pontifice, coalescentia, postea tamen pro œcumenicis habita sint, eo quòd decreta eorum per S. Sedem approbata, et per hujus auctoritatem jam in totâ Ecclesiâ recepta sunt (1).

56. — Observatio circa veterem de Papæ vel Concilii superioritate questionem. — Ex dictis etiam jam intelligere est quàm perperam adeò disputatum sit circa respectivam, ut aiebant, Papæ vel Concilii œcumenici superioritatem. Etenim

1^o, si verborum sensus ritè accipiatur, quæstio vix ullum habere poterat sensum. Concilium enim illud solum potest propriè dici *œcumenicum*, quod totam repræsentat Ecclesiam docentem, proindeque Papam, utpote primariam Ecclesiæ partem, essentialiter includit sive præsentem, sive repræsentatum, at certè consentientem, — saltem ubi Papa certus datur. Non magis igitur dissidium fingi poterat inter Papam certum et Concilium propriè *œcumenicum* quàm dissidium inter hominis caput et non dico *reliquum* corpus sed *totum* ejusdem corpus quatenus caput quoque cum membris complectitur : quod sanè, ut ait Fénelon (2), « ineptum » foret. — Si autem quæstio ponatur de futuro, i. e., si quæretur quousque Papa teneatur exinde legibus quas ipse cum episcopis in Concilio tulit ac sancivit : de hoc jam suprâ diximus, n. 46.

2^o Si autem, verbis non ita accuratè sumptis, quæstio ponatur inter duas Concilii œcumenici partes, inter Papam nempe et Corpus episcopale quatenus in Concilio ritè repræsentatum supponitur, nunc etiam liquet Episcopatum, ubi Papa certus existit, nihil posse absque hujus consensu (3), proindeque, uti docet SS. Concilium Vatic.

(1) De Conciliis quæ apud Catholicos pro œcumenicis habentur, V. *APPENDICEM VIII*.

(2) *De S. Pontificis auctoritate*, c. xxxviii, 2^o. — Cfr Héfélé, *Hist. des Conc.*, t. I, p. 51.

(3) Quin et ipsi Gallicani, juxta Bossuet (*Gallia orthodoxa*, seu *Prævia dissertat. Def. Decl.* § 84), « ultrò consentiunt ex antiquissimis regulis, Synodos generales absque R. Pontifice nullas esse et irritas. » —

(c. iii), « Sedis apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium » à nemine fore retractandum neque cuiquam de ejus licere judicare » judicio (ex Epist. Nicolai I ad Mich. Imp.) » (1). — Cæterum, è principiis suprâ positis circa indefectibilem majoris Episcoporum numeri cum Papâ unionem, nequaquam timendum est ne illa Episcoporum majoritas, quantumvis in Concilio congregata vel repræsentata, adversus Pontificem certum sese pertinaciter efferat, sive in materiis fidei, sive in materiis disciplinæ. Unde rectè Muzzareli : « Numquid » in aliquo œcumenico Concilio inspexitur Caput divulgum à Corpore ; » aut monstruosum et chimericum illud certamen Capitis ex unâ » parte, et membrorum ex alterâ ? Unus semper Corporis et Capitis » nutus, unus assensus fuit, tum extra Concilium, tum in Concilio. » (*De auctorit. R. Pontificis in Conc. gen.*, t. II, p. 3, 5 ; — cfr et Ballerini, loco cit. ; ap. Migne *Theol.*, t. III, p. 1294, item et 1289).

Dixi... ubi Papa certus existit... ; etenim, si dubium contingeret, circa validitatem electionis Papæ, (utî reverà contigit in Magno, ut aiunt, Occidentis Schismate, de quo postea in *Appendice speciali*), tunc, quum nullus adsit è jure divino constitutus Superior, auctoritas ad dubium istud solvendum necessaria devolveretur, è jure naturali, ad *immediatè inferiores*, id est, ad Corpus episcopale, cujus esset rem elucidare, vel, si elucidare desperaret, irritam facere, papam dubium deponendo, — etiamsi fortè verum (2). Deus enim certè omnem in Ecclesiâ suâ posuit auctoritatem quæ necessaria invenitur ad conservationem Ecclesiæ perpetuam. Quæ quidem auctoritas in Vertice ordinariè residet ; ubi autem illic inveniri nequit, propter dubium

Unde non potuerunt ipsi, absque contradictione, in suo Artic. II^o decreta Concilii Constantiensis ad alios extendere Pontifices quàm ad dubios, prout erant tempore Schismatis. De quibus decretis V. *APPENDICEM IX*.

(1) Et itidem Conc. gen. VIII. C. P. IV, a 869 : «... Si, quâ œcumenicâ » Synodo collectâ, de Romanâ etiam Ecclesiâ controversia extiterit, licebit cum decenti reverentiâ de propositâ quæstione veneranter percontari, » responsumque admittere, et sive juvari, sive juvare ; *non tamen impudenter contra senioris Romæ Pontifices sententiam dicere* » (can. 13, vel in edit. Anastasii 21 ; ap. Labbe, T. VIII, p. 1375, 1440 ; ap. Mansi ; T. XVI, p. 406, 474). Cfr et concil. Rom. Palmare dictum, sub Symmacho Papâ, ap. Blanc Leg. LXX, et alias auctoritates quas V. ap. Card. Litta : *Lettres sur les 4 Art.*, L. XV.

(2) Suarez : *De fide*, Disp. X, S. VII, n. 49.

supradictum, jam necessariò in immediatè Inferioribus inveniendâ est, quantacumque tunc futura sit illius exercendæ difficultas. Ita saltem communiùs Theologi (1).

Idem etiam, juxta plurimos, dicendum de casu in quo rationale ac permanens dubium fieret annon Papa factus esset extra societatem viventium per mortem, aut rationalium per amentiam (2), aut Christi-fidelium per hæresim non quidem pontificaliter decretam (quod accedere nequit, ex dictis, quamdiu ipse pro Pontifice ab Ecclesiâ habetur), sed personaliter ac privatè professam. De quo ultimo casu præsertim agere solent Doctores. Etsi enim absolutè fieri possit, imò et admittendum videatur auctoritatis retinendæ et exercendæ capacitatem à Christo in tali homine supplendam fore, ad vitandas incertitudines, usquedum illius incapacitas authenticâ declaratione constiterit; talis tamen status institutioni Christi minimè respondet, ideoque plurimi Doctorum, per quamdam *επιεικειαν*, censent in eo casu jus competere Corpori episcopali vel Concilio ipsius repræsentativo, ut talem hominem declaret divino jure extunc exauctoratum (3). — Alii

(1) Cfr Suarez loco cit.; — Bellarmin. *Controv.*, t. II: *De conciliis*, l. II, c. XIX, 22; *De clericis*, l. I, c. X; — Muzzarelli: *De auctoritate R. Pontif.* t. II, p. 369; — et ita judicare eos omnes necesse est qui Alexandrum V, ex his principiis in Concilio Pisano electum, inter legitimos Pontifices recensent, uti satis solitum est (Cfr ipsum Palma: *Prælect. Hist. eccl.*, t. IV, p. I, c. II in fine). — Alii tamen negant illam auctoritatis ad Episcopos devolutionem fieri posse, neque remedium in hoc aut aliis ejusdem circiter modi casibus aliunde exspectandum esse contendunt quam ex divinâ Providentiâ (Ita Bouix: *De Papâ*, t. II, p. 673 et ss.; Cfr et Ballerini: *De potest. S. Pontif.*, c. IX, § 3 et 4, ap. Migne *Theol.* t. III, p. 1375 et ss.).

(2) Suarez, l. cit., n. 17. — Cfr Jacobat.: *De Concil.*, t. IV, p. 146 et ss.

(3) V. notatim Suarez, l. cit., n. 6 et ss., itemque *De Legibus*, l. IV, c. VII, n. 10, ap. Migne *Theol.*, t. XII, p. 797. — Quidam quidem auctores censuerunt talem hominem jam exauctoratum esse ante declarationem; ita Bellarmin.: *De R. Pont.*, l. II, c. XXX; Ballerini: *De pot. eccl.*, c. IX § 2, p. 1374; et alii ap. Suarez, l. ind., n. 2; — qui eos meritò impugnat, ibid., n. 3-5; itemque D. Bouix, t. II, p. 660; — et cfr dicenda hic infra in nostrâ P. 2da.

Aliunde quidam olim jus Concilii extendere voluerunt ad casum Pontificis scandalosi in moribus; sed non ita rectè; non enim eadem inde oriri videtur incapacitas (V. Suarez, loc. cit. n. 14 et ss.; Ballerini, § 1, p. 1374; D. Bouix, p. 640 et ss.). — Unde apprimè profectò Innocentius III Papa, in

tamen negant id fieri posse et remedium à solâ Providentiâ volunt expectandum (1). — Probabilius nobis videtur casum nunquam eveniturum (cfr suprâ, p. 160, not.); at certè, si eveniret, securè standum esset judicio Corporis episcopalis, quod nempe, utpote infallibile, non sibi potestatem arrogaret quæ sibi non competeret.

COROLLARIUM CAPITIS

circa Ecclesiæ unitatem et apostolicitatem

CUM CONSECTARIIS PRACTICIS

circa transmissionem auctoritatis in Ecclesiâ.

57 — Ergo Ecclesia est societas una, itemque — 58 — societas apostolica. — *59 — Consectaria practica: 1º Necessitas apostolicæ missionis itemque 2º consensus S. Sedis et quidem consensus perseverantis. — Observatio quoad ipsum S. Pontificem.

57. — Iº — Ecclesia est societas una. — E toto hoc Capite, jam colligere est Ecclesiam non modò esse societatem, uti è Cap. Iº suprâ intulimus (n. 29, p. 76), sed esse societatem unam, non plures societates. Ibi enim est verè societas una, ubi una est auctoritas suprema (sive in uno homine individuo, sive saltem in uno plurium collegio residens); ibi, è contrâ, plures existunt societates, ubi plures hujusmodi existunt auctoritates apud suos quæque supremæ et independentes, sicuti videre est in mundo pro ordine civili. — Atqui in Ecclesiâ adest, ex ipsius Christi institutione, una auctoritas suprema, cui omnes obedire tenentur tum in credendo tum in

Serm. II in consecrat. Pontif. (Patrol. lat. Migne, t. CCXVII, p. 636):
« In tantum fides mihi necessaria est ut, cum de cæteris peccatis solum »
» Deum judicem habeam, propter solum peccatum quod in fide commit- »
» titur, possem ab Ecclesiâ judicari. » — Cfr August. Triumphum: *Summa de Potestate eccl.*, q. VI.

(1) Ita, — præter quosdam, quos rejicit Bellarminus, l. cit., — D. Bouix, l. modò indic., p. 666, 668 et ss.; — Etc.